

Zeitschrift: Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte = Revue d'histoire ecclésiastique suisse

Herausgeber: Vereinigung für Schweizerische Kirchengeschichte

Band: 1 (1907)

Artikel: Sebastian Werro über Pius V. und Gregor XIII.

Autor: Wyman, Eduard

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-119104>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 08.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Sebastian Werro über Pius V. und Gregor XIII.

von Eduard Wyman.

Gegen Sebastian Werro's Plan, nach Jerusalem zu pilgern, erhob Karl Borromeo in Mailand und der schweizerische Nuntius, Johann Franz Bonhomini, in Vercelli große Bedenken. Der Pilger wandte sich daher zuerst nach Rom, welche Stadt er ohnehin hatte besuchen wollen. Am 10. Mai 1581 betrat er den Mittelpunkt der Christenheit und hoffte, dort in drei bis vier Tagen vom Heiligen Vater selbst die Erlaubnis zu seiner Pilgerfahrt zu erhalten. Aber wegen der bevorstehenden Feste bot sich für den Freiburger Stadtpfarrer keine Gelegenheit zu einer Audienz. Die Wartezeit benutzte dieser nun selbstverständlich zur Besichtigung der ewigen Stadt, in welcher er bis zum 27. Mai verweilte.

Schon seit neun vollen Jahren saß Gregor XIII. auf dem päpstlichen Thron, und doch war das Andenken an seinen heiligmäßigen Vorgänger Pius V. in der katholischen Welt und bei den Bewohnern Roms noch so lebhaft, daß Werro auch ihm eine Charakteristik widmet. Die Umgebung der Päpste und das Leben Roms weiß der Pilger aus Freiburg trefflich zu schildern. Was er jedoch über die Antiquitäten schreibt, riecht zu sehr nach Bædeker, als daß wir die bezüglichen Notizen hier wiederholen möchten. Dagegen dürfte die persönliche Unterredung mit Gregor XIII. viel Interesse beanspruchen; sie wird aber besser im Zusammenhang mit jenen Briefen veröffentlicht, die Werro gleich hierauf nach Freiburg sandte.

DE PONTIFICE MAXIMO

Qui hunc præcessit Summus Pontifex beatæ recordationis *Pius V.* tantæ sanctitatis fuit, ut multam de se memoriam Romanis civibus, præsertim qui pietatem amplectuntur, reliquerit. Sathanam hunc hominem formidasse, indicio fuerunt dæmoniaci, qui illius præsentiam minime ferre poterant, ac complures furibundos primum verbo solo sanavit, ut mox ejus pedes, provoluti ad terram, deoscularentur. Imperator Turcicus majoris illius preces faciebat, quam principum exercitus; solebat enim dicere: Si saltem Romanus ille cum extensis brachiis obiisset, cætera non curarem. Wan nur allein der mitt zerthenten Armen zù Rom dahin wer, wolt er nichts mer besorgen.

Audiverat enim, Pium extensis ut plurimum manibus coram crucifixi imagine preces fundere; nec Turcam sua opinio fefellit, nam navale illud prælium¹ non parum ejus oratione adjutum fuit, ac præsciebat ipse eventum

¹ Gemeint ist die Seeschlacht bei Lepanto.

belli ; nam abeuntibus militibus ac navibus jamjam vela ventis dantibus victoriam visus est certam promittere, tantum strenue dimicarent. Ut quondam Samueli oranti olim victoria contra Philistæos ascripta fuit, ita non absimili ratione maritima hæc victoria sancti hujus Pontificis orationibus magna ex parte attribui possit. Sanctitatem illius populus etiam Romanus post obitum attestatus est. Cum enim soleant defunctum Pontificem in chorum clathratum, qui ad dexteram templi S. Petri est, aliquot horas ponere, versis ad cancellas pedibus, ut a populo deosculentur, tanto impetu omnes accurrebant, ut quadraginta amplius horas asservatus, nullo penitus fœtore exhalante, avelli non potuerit, quin etiam calcimenta de pedibus frustim absciderunt, ut aliquid in illius memoriam velut sanctas reliquias apud se haberent : sufficiens satis exemplum, quo hæreticis et calumniatoribus Pontificii Romani status os obturari possit, ut, si cum fide sanctitatem in prælatis requirant, et fidem pariter et vitam sanctam Pii V approbare debeant, ac per consequens Romanam Ecclesiam catholicam ac veram agnoscant.

Gregorius XIII laudatæ vitæ est, octuagenarius jam corpore appetet adhuc vegeto, loquela autem rauca jam est : doctrina, maxime jurisprudentia commendatur : in exteris nationes miro favore fertur, præsertim ut in catholica fide illas servet. Ob id *Germanis* Collegium Romæ construxit, cuius gratia priusquam fundatum propriis redditibus esset, octo millia coronatorum quotannis expendebat, ut illis nummis Germani adolescentes in studiis liberalibus ac theologicis alerentur et hæreticis calumniandi ansam de sacerdotum inscritia adimeret atque hoc tempore ad illum statum Collegium deduxit, ut decem millia coronatos fundationis perpetuæ singulis annis in studiosorum emolumentum recipiat. *Anglis*, qui e patriis laribus ob fidei constantiam expellebantur, eodem modo Romæ hospitium constituit. *Græcis*, ut aliquando ad Romanæ Ecclesiæ unitatem redeant, suum quoque attribuit Collegium, ut illic ad Ecclesiæ professionis normam de fide instituantur. Quantum ad *structuras*, quibus etiam addictus est : pontes ubique, ubi opus est, fluminibus superstruit. Viam deinde a civitate Roma Lauretum usque quatuor dierum itineris perduxit, qua quadrigis etiam quis vehi potest. Quanti illa operis sit ac quam itinerantibus commoda, illi facile judicabunt, qui ea usi sunt ; appellavit illam La strada Boncompagna. Præterea in Palatio Pontificio, quod in Vaticano est, xystum longum ac altum exstruxit geographicis ubique figuris depictum, una cum ventorum indice, qui a ventis movetur, vexillis illis, qui supereminent. Atque quod præcipuum est, novi templi B. Petri structuram multis partibus promovit.

Cum festivis diebus officiis ecclesiasticis pontificali habitu interest, hic fere ordo observatur : Ad vesperas tempore statuto omnes Cardinales in equis accedunt. Inde ad sacellum pontificium (quod in Palatio est, ac justæ ecclesiæ magnitudinem habet) procedunt, *primum* familiares ac domestici Pontificis sacerdotes ac prælati, infulam unam aut alteram præferentes.. Cardinales sequuntur bini, senioribus secundum seriem posterioribus. *Tertio* Summus Pontifex sublimis in sella seu hexaphoro rubea defertur et *quarto* denique subsequuntur episcopi, qui adsunt.

Posteaquam Pontifex resedit, assurgunt Cardinales, ac ordine circum

altare (quod duodecim Apostolorum argenteis imaginibus seu statuis, cubiti et amplius altitudine, decoratum est) prodeentes Summo Pontifici in obedientiæ symbolum manum dexteram deosculantur, ac tum demum vespertas vel ipse Pontifex vel unus e Cardinalibus incipit. Respondent cantores deputati, qui toto orbe exquisitissimi sunt, ac a Pontifice ditissimis stipendiis aluntur. Organa assonant nulla. Psalmos plano cantu pronunciant, et ultimum tantum versum, nimirum *Gloria Patri* etc. musicis concentibus decantant. Ad initium cantici *Magnificat* Pontifex surgens incensat thuribulo altare, administrantibus duobus Cardinalibus et totidem presbyteris. Capitulum recitat junior inter cantores, seu qui discantum cantat, quorum duo sunt staturæ jam virilis, sed eunuchi plerunque. Orationem denique seu Collectam cantat Pontifex, presbytero librum coram manibus sustinente. Mane pari ordine proceditur.

Cum in sacello celebrat Pontifex mitra tantum seu infula utitur, cum vero in summo templo S. Petri, corona triplici illa induitur. Ea tamen ad formam illam, qua reges utuntur, non est facta, nam apices aureos prominentes non habet, sed potius depictos tantum filo aureo ac margaritis gemmisque ornatos; in summitate carbunculus nucis juglandis magnitudine pretiosissimus rubet noctuque lucem, ajunt, effundit.

13º Maii, qui erat vigilia Pentecostes, festum *creationis* Gregorii celebratum est in ecclesia eo modo, ut dictum est, noctu in palatio et per urbem sclopetis ac igne ubique accenso. In palatio ad 600 luminaria ardebant. Idem factum est 25. ejusdem mensis, quo die coronatus fuit inciditque hoc anno in festum Eucharistiæ. Dum Pontifex ita ad templum procedit, accurunt non minus *Judei* quam reliquum vulgus ac mirabar, quæ illis nunc cogitationes animo observarentur, cum cernerent, sacerdotium a se ad nos translatum ac sacerdotem magnum non amplius de stirpe Aaronis in Israël regnare, sed secundum ordinem Melchisedech christianorum ecclesiæ præsidere; illi tamen perfidi, oculos cordis velati, Christum verum Pontificem, quem illorum lex præfigurabat, agnoscerre nolint.

In *processione* solemnitatis *Eucharistiæ* hic ordo observatus est: I. Ordines Monachorum plurimi procedebant. II. Presbyteri canonici. III. Laici cum facibus ardentibus amplius mille, quos inter erant nonnulli sacerdotalis ordinis, sed nigro tantum vestitu. IV. Auditores Rotæ et Generales ordinum. V. Camerarii. VI. Cantores. VII. Deferebant mithræ et duæ coronæ Pontificis. VIII. Officiales. IX. Confessarii Jesuitæ seu Pœnitentiarii apud S. Petrum, casulis induiti. X. Episcopi, supra sexaginta, candidis casulis et mitris induiti. XI. Cardinales simili habitu, sed damasceno, illi vero serico simplici. XII. Pontifex solito more portabatur; ipse vero in manu, tenui monstrantia, S. Christi corpus ferebat, oculis in illud attente infixis, ac circum Pontificem erant primates Romani pauci — sequebatur vero nemo; nam populus ob multitudinem sequi non posset, sed undique astant, ac non nunquam prætereunti Pontifici acclamant: «Vivat Pontifex Gregorius!» Via tapetibus utrinque ornata erat et viridianibus columnis appensis de summitate Cardinalium Populique Romani ac Pontificis insigniis, interpositis semper calicis cum Eucharistiæ imagine. Desuper [via] contexta est linteaminibus per totum circuitum.

Sanctimoniales vesperas cantabant apud S. Catharinam musicis modulis integras, ac *Magnificat* sex et octo vocibus.

In summo templo vesperas et totum officium extra chorum ante altare S. Eucharistiae decantant. Vesperas etiam eodem loco in die S. Trinitatis. Animadvertis in completorio ad hymnum *Te lucis*, extremo cecinisse : *Gloria tibi Domine, qui natus es*, etc. Versum vero *In manus sine Alleluja*, et postridie officium recitasse de uno martyre sine *Alleluja*, sed haec quoad chorum. Est præterea alia versuum distinctio in psalmis, quæ etiam Venetis in usu est.

Sunt alia deinde Romæ memorabilia, quæ quia ob infinitum numerum paucis diebus observari nequeant, haec tantum annotare potuimus. *Catecumeni*, ut in primitiva Ecclesia erant, ita etiamnum paschalibus festis fiunt et baptizantur, etiam adulti. *Judæos* cur Pontifex in alma urbe patiatur, mirum fortassis cuiquam esset, quum indigni videantur, qui inter Christianos vivant. Verum sine causa evidenti non fit, nam et Judæorum commodo plures ad christianam fidem deducuntur et christianorum utilitati prodest, cernere illam gentem, quæ tot ac tantis a Deo beneficiis ornata fuit, tantis mysteriis imbuta, tanto Dei amore digna judicata, ut reprobatis cæteris in universum gentibus sola eligeretur in populum dilectum, solumque in Iudea notus esset Deus (Psal. 75), nec ulli unquam nationi taliter Deus fecerit (Psal. 147), nunc quandoquidem Dei legem neglexerit, reproba ipsa et per universum orbem dispersa exulare ad extrema usque tempora cogatur, atque in tali miseria, ut quæ terræ olim selectæ ac lacte melleque feracis domina erat, nunc ne latum quidem unguem de terræ possessione obtineat. Ideoque Christifidelibus exemplo esse jure possit, ne excusso Dei timore ac piis vitæ institutis repudiatis, ipsi quoque a Deo deserentur atque cum a fidei avitæ regulis exciderint, Turcarum et Atheorum insultibus pateant. Ex Judæis illis igitur catechumeni fiunt, atque per paschale tempus indui candidis vestimentis bini ordine ecclesiam diebus festis accedunt, præferente uno crucifixi imagine. Vidimus hoc anno ad vigintiquinque, inter quos duo jam triginta amplius annos nati, et unus senex admodum. Aluntur deinde publicis stipendiis et contributionibus, donec adolescentes illam ætatem attingunt, ut sibi ipsis de victu providere valeant.

Puellæ alio *Ptochodochio* aluntur, quin et pueri, qui orti parentibus aut derelinquuntur aut exponuntur. Adultis seu maturis de marito providetur ac dote donantur larga vel parca, pro puellæ dignitate.

Ut antiquus mos festis paschalibus observatur cum catechumenis, ita tribus *Pentecostes* solemnitatibus eodem modo Spiritus Sancti virtus sacramento Confirmationis fidelibus confertur in ecclesia S. Joannis in Laterano.

Ante biennium *hospitale novum* erectum fuit alendis mendicantibus, cæcis, claudis et aliis vagantibus, appellatum S. Sixti ab illa ecclesia, quæ ei attributa fuit, in quo magna Pontificis ac Cardinalium munificentia enituit, qui fundationem hanc millibus aliquot coronatis dotarunt.

In ecclesia *Pantheon*, quae S. Mariæ rotunda vocatur, pueri quæstiunculis et disputationibus catechismi exercitium diebus dominicis in usu habent.

Præter ingentem *monachorum* et ecclesiasticorum ibidem numerum, de novis duabus religionis professionibus, quæ nostro tempore emerserunt ac

pietate pariter et doctrina illustres sunt, nimirum Jesuitis et Cappucinis, illorum Romæ sunt ad 300 ; horum una processione simul vidi 250.

Cœmiterium prope S. Petrum est, *Campus sanctus* dictum, in quo peregrini et exteri propemodum omnes sepeliuntur, ac vigintiquatuor horas, ajunt, computrescunt usque ad ossa. Romani vero illati putrescere non possunt, asservaturque Romani cujusdam civis cadaver, qui ignotus ibi sepultus, cum putrescere nequiret, refossus ad parietem sacelli in signum et speculum mortalitatis alligatus est. Caro quidem jam contabuit, verum ossa, nervi, pellis ac unguis digitorum integra adhuc sunt, licet lacera.

Familiæ Romanæ illustriores quatuor sunt, quæ avitas genealogias ex veterum Romanorum stirpibus recensent ; sunt vere *Familiæ Columna*, *Savella*, *Farnesia*, et *Comitum*, qui Li Conti dicuntur.

Vidi etiam Romæ Doctorem *Wilhelmum Eisengrien*, qui ob eruditionem singularem a Pontifice stipendio donatus est : propediem opus de historia Ecclesiæ in lucem emissurus.

Cæci plures cane præcurrente ac fune alligato gressum dirigunt. In territorio Romano loci nonnulli sunt *sulphur* redolentes ac Tibur versus euntibus fluvius trajicitur, qui fœtorem intolerabilem exhalat.

Ruri *defunctos* non in cœmiteriis, sed secus viam sepeliunt in agris, haud dubie veteri adhuc more, quo tot sanctos ac martyres via Ardeatina, via Appia, aliisque conditos legimus.

Roma ob æstum intolerabilem æstivis diebus habitationi incommoda admodum est. De militibus etiam *custodiæ Pontificis*, quorum ex Helvetia ducenti illic sunt, plurimi mense Augusto intereunt, quod præter insalubrem locum, aer etiam novus illos infestet. Illorum Capitaneus erat Jodocus Segesser, nobilis Senator Lucerinus, vir doctus et pius. Leges suas militares de jure et honesta conversatione stricte observant.

Von *Bologna* schrieb Werro früher : In majori templo, quod S. Petronio sacrum est, erat Legatus Pontificis Cardinalis Cæsar, qui Bononiensi ditioni nomine Pontificis præest. In illius custodiam aluntur 100 Helvetii, Tibicinae sex in palatio suavissime concinebant. Super eminentiorem palatii porticum Gregorio XIII Summo Pontifici, quod civis Bononiensis natus sit, statuam ex ære sumptuosam admodum posuit civitas.

